

1104

Handwritten text in Gothic script, likely a title or list of contents, written in black ink on a parchment background with red horizontal lines. The text is partially obscured by wear and tear.



INDEX DISPUTATIONUM

- XII Disput. vide p. 4  
 sub Praesidio S. Frid. Bal  
 duini.
- 13 De verbis testamenti Iesu  
 Christi filii Dei, hoc est  
 corpus meum, hoc est sanguis  
 meus Pr. Balduini.
- 14 De Prae destinatione  
 Pr. D. Jos. Gerhardi
- 15 Oratio de Friderico Myco,  
 nio Theologo constantis. et  
 primo Thuringorum Evangelista  
 sub D. Ant. Brubo
- 16 De Dei et Christi Oratio  
 nostri Mediatoris nostri, apud  
 creaturas gubernandas  
 universali et speciali pre  
 sentia. D. Bal. Mentzneri  
 D. Iust. Feurbornii
- 17 Absterfio Calumniarum  
 Jos. Coccii. Pr. Balb.  
 Mentzneri.
- 18 De Baptismo conclusionibus  
 comprehensus. Pr. D.  
 Petri Biscafuris
- 19 De persona Iesu Christi ser  
 vatoris nostri Pr. D. Ambro.  
 Reudenio
- 20 De Baptismo initiationis  
 sacramento Pr. D. Georgii  
 Mylii.
- 21 De visitatione eccle  
 siastica Pr. D. Georgii  
 Mylii.
- 22 Carolestadius redivivus  
 contra Calvianos Pr. D.  
 Georgii Mylii.
- 23 De verbo Dei scripto,  
 et traditionibus non  
 scriptis. in Disputationibus  
 X distributa. sub Praes.  
 D. Leonhardi Hutteni.
- Indice decem Disputationum  
 vide p. 2. in disp. 1.
- 34 Threnologia de obitu  
 Principis Friderici Wilhelmii  
 sub D. Georgio Mylio.
- 35 Panegyris Actus Doctores  
 jurisconsultum i. e. Jos.  
 Stigeli et aliorum de inaugu  
 ratione Acad. Salanae.
- 36 Modus inveniendi concordiam  
 in contrav. De electione ad  
 vitam à Sen. Huttero D.  
 2 in Morte Principis Saxoniae.
- 37 Ad Tragediam Virgilianam  
 de Aenea et Lavinia
- 38 166 Selectiones Epistolae D.  
 Ps. Melanesthonis ad D. Frid.  
 Myconium conscriptae et
- 39 De Viro sancto Martino  
 Lutbero.
- 40 Votum nuptiale

DISPUTATIO THEOLOGICA VIII.

32

De

SCRIPTURARVM  
INTERPRETATIONE.

Quam Spiritu Sancto favente

SVB PRÆSIDIO

Reverendi, & clarissimi viri

Dn. LEONHARTI HUTTERI,  
S. Theol. D. & Professoris in celebri Academiâ  
Vitebergensi Publici discutiendam  
proponit

M. UDALRICVS STORRIVS  
*Furnensis Palatinus.*

Ad diem 26. Aprilis horâ 6. matutinâ.



VVITEBERGÆ

Typis Cratonianis per Iohann. Gorman.

---

Anno M. DC. VI.



Reverendis, Claris. & Do-  
ctis. Viris,

Dn. M. PAVLO HEIDERICO ad D. Crucem,

Dn. M. IACOBO RVLICHIO ad D. Vlricum,

Dn. M. GEORGIO RIEDERERO ad D. Georg.

*Ecclesia syncretioris & unius Evangelica quae Augusta  
colligitur Pastoribus vigilantissimis:*

NEC NON

Dn. M. BERNHARDO ALBERTO ad D. Annam,

&  
Dn. M. DAVIDI PISTORIO ad D. Vlricum.

Diaconis fidelissimis.

*Dominis suis Fautoribus, Patronis & Promotoribus  
reverenter & submisse colendis*

Exercitium hoc Theologicum in debitæ gratitudinis  
*τεμπήσιον* offert ac consecrat

M. Vdalricus Storrius F. P.



## Disputatio IIX.

De

# SCRIPTURARVM INTERPRETATIONE,

### THESIS I.



*E Scriptura Θεωρίας & Interpretatione  
disputaturis, tria considerata veniunt:  
Primum, ane plures uno Scriptura sint  
admittendi sensus: Deinde, penes quem  
sit summa authoritas interpretandi Scri-  
pturas: tandem qua sint vera ac legitima  
Interpretationis media. De quibus omni-  
bus οὐν Θεῶ brevissimis,*

II.

*Et ut de primo nostram mentem demus explicatam, sta-  
tuimus, solum Scriptura sensum literalem sive historicum esse  
genuinum: & firma ac valida argumenta, quæ διδακταλίας,  
quæ ἐλεγσον ex eo peti posse.*

III.

*Caterum literalis iste sensus non excludit Mysticum, illum  
nimirum, qui non statim cui vis est obvius: sed secretior est, &  
in rebus quasi latet absconditus.*

IV.

*Quin hic ipse literalis sensus locum etiam habet partim in  
allegorijs: Siquidem nulla Allegoria evertit veritatem literæ*

A 2

sive

sive historia: partim verò in locutionibus & verbis figuratis, quæ ad regulares sive usitatas locutiones semper reduci possunt, & debent: ita quidem, ut in quibus Tropici verbis sive phrasibus, Reductio isthac locum non habet: illæ non amplius figuratæ, multò minus regulares aut propria, sed inusitata censerì debeant: Quales sunt illæ, de quibus in Articulis illis duobus, de persona Christi, & Cæna Domini hodiè controversitur.

V.

Insulsi verò meritò censendi sunt veteres Monachi, & Doctores Scholastici, qui Origenis secuti vestigia, Mysticum sensum mutarunt in Allegoricum, eundemq; in singulis scripturæ phrasibus & verbis necessariò quarendum esse, contenderunt.

VI.

Quin imò, ut liberaliores essent Origene, Scripturam sacram secundum singulas partes, quadruplici modo interpretandam esse suaviter somniarunt: Vnde distichon illud, sed malè tornatum, apud ipsos in usu fuit:

Litera gesta docet, quid credas Allegoria  
Moralis quid agas, quò tendas Anagogia.

VII.

Quibus haud meliores sunt nostri leSuitæ, qui ibidem pro quadruplici scripturæ sensu mordicus dimicant: nempe 1. Historico. 2. Tropologico. 3. Allegorico, & 4. Anagogico. Literalem sive Historicum eum nominantes, qui ex ipsis verbis enascitur: Mysticum autem in merè Allegoricum cum Origene inscitè commutantes. Tropologicum verò ad doctrinam de moribus, Anagogicum denique ad vitæ æternæ conditionem accommodantes.

VIII.

Quanquam verò non imus inficias, suo quodam modo ac respectu ἀλληγορίας, ἀναγωγίας, & (ut recepto utamur termino licet minus accommodato) τροπολογίας, ex scripturis elici posse: ut  
tamen

tamen propterea quā druplicem Scripturæ sensum inde consequi  
statuamus, ipsa religione prohibemur:

IX.

Nam sensus si fuerint, utiq; Scripturis ipsis, singulisq; earum  
dictionibus & phrasibus insiti sint necesse est: Nisi enim sint  
insiti & nativi, non certè Scripturarum, sed Interpretum illi  
sint sensus, necessarium est consequens.

X.

At verò insitos & nativos illos non esse (si nimirum sin-  
gula Scripturæ verba, phrasēsq; singulas respicias) mirum si quis-  
quam dubitat.

XI.

Nam Spiritum sanctum, quippè cuius instinctu Scripturæ  
in literas relata est, voluisse in singulis verbis aut phrasibus,  
omnes istos sensus insinuare; non prius probabunt, quàm proba-  
tum dederint, Spiritum sanctum mera anigmata per Scriptu-  
ras proponere voluisse; in quibus ita quadrifariam explicandis  
vel Oedipo divinatore, vel Delio natatore opus foret: id quod  
prodigosè est blasphemum.

XII.

Quin & illud consequetur, si omnia Scripturæ dicta in qua-  
tuor istos sensus semper transformari debeant, nullam certitu-  
dinem ac firmitatem Scripturarum dari posse. Quilibet enim  
Interpres ad cerebelli sui arbitrium peculiare dabit sensus  
Scripturæ & ille quidem hos, ille alios comminiscetur.

XIII.

Vbi de religionis Christiana veritate: de analogia & ὁμο-  
λογία Fidei penitus actum esse, pius quisque facitè intelligit.  
Sed de Scripturæ sensibus ὁμοίως hæc dixisse sufficiat: nunc pe-  
nes quem summa sit interpretandi Scripturas autoritas expli-  
candum fuerit.

XIV.

11. Vbi nos initio de eo minimè controversi statuimus: anne

omnes qui Christum profitentur donum Scripturas interpretandi habeant? In hoc. n. nos etiam Romanenses habent ὁμοψήφως, ambabusq; quod ajunt manibus lubenter acceptamus, donum hoc non promiscuè omnibus: sed principaliter personis in Ecclesiastico munere constitutis esse concessum: ut qui in scholis prius hanc ad rem sunt informati ut majori dexteritate τὸν λόγον τῆς ἀληθείας ὀρθολογικῶς valeant, & ex eodem ἐλέγξαι τὰς ἀντιλεγόμενας.

XV.

Neque hic controversia status est, quem in præjudicium nostrarum Ecclesiarum fingit Bellarminus; anne cujuslibet judicio sit relinquenda interpretatio. Ipsi enim ultrò etiam Suis non monente sacris edocti literis optimè cognitum perspectumq; habemus, Interpretationem non esse idias Ἰπιδύσεως. Neq; enim Ἰελήμοι ἀνδρώπας ulla unquam fuit allata Prophetia, sed Ἰπὸ πνδμάτῳ ἁγίῳ φερόμενοι ἐλάλησαν οἱ ἁγιοὶ Ἰεῦ ἁ. Ἰρωποί. Et hoc ipsum est quod tantoperè adversus Romanenses urgemus, qui spreta autoritate Spiritus sancti, humanam substituunt.

XVI.

Verùm hoc est, de quo nobis cum Suis lis intereedit quàm maxima: Anne Pontifex Romanus, vel cum Concilio, vel sine concilio Scripturarum sensum definiens; an verò Spiritus S. in Scripturis loquens summi & absolutè authentici Interpretis munere fungatur? Hic verò aperitè & rotundè nostram mentem explicantes, Spiritui sancto in Scripturis loquenti nostra vota unice adscribimus.

XVII.

Si enim huic uni, Scriptura debemus depositum, quidni & summum jus interpretandi eidem concederemus, nisi fortè per insignem ἀρρωσίαν τῆς Δενοίως, illi interpretationem legum adimere velimus, qui leges ipsas condidit. Quare uti optimus interpret verborum est quisque suorum: ita Spiritum S. qui Sacrum divulgavit codicem, optimum suorum verborum Interpretem



pretem agere, eorundemq, sensum non suppositiū sed proprium ac genuinum dare posse, imò ex ipsis Scripturis dare, apud pios quosvis extra dubium est positum.

XVIII.

Neque enim Scriptura est muta litera sed eruditos reddit ad salutem sui lectores, ita ut ex ea sola, non aliunde verus ejus sensus elici possit & debeat. Optimus enim Scriptura lector est Hilario, qui Scriptura intellectum non attulerit, sed ex Scripturâ retulerit. Qui vero Scripturam aliter intelligit, quàm sensus Spiritus S. efflagitat, uti alicubi B. ait Hieronymus, hæreticus appellari potest.

Hieron. in  
cap. 1. ad  
Gal.

XIX.

Si seipsas interpretari non poterunt Scriptura, certè vel obscuritas vel imperfectio obstabit: quorum neutrum cum obstare superioribus *ὁ ἐπινοεῖ* satis abunde fuerit evictum; invictè inferimus, Spiritum S. in Scripturis loquentem planissimè suam mentem explicare. Quicquid enim perfectum est, sufficit & certum est, alieno non indiget auxilio: & quod ita est clarum, ut sua luce luceat, alieno lumine ut demum elucescat opus haud habet.

XX.

Patet denique hoc ipsum ex negligentis illis, quæ in summo ac infallibili Interprete requiruntur, quæque non nisi Spiritui sancto assignari possunt: Nullius enim præterquam illius vocem, quæ nos per verbum alloquitur veritatem esse novimus, Joh. 17. v. 17. quia inspirata ab eo, qui Spiritus veritatis est Joh. 16. v. 13. & 14. eosque in veritatem duxit, quibus inspiravit 2. Tim. 3. v. 16. & cujus impulsu locuti sunt sancti DEI homines 2. Pet. 1. v. 21. Solus præterea Spiritus sanctus is est, à cujus sententia provocare nemini conceditur, eò quòd se superiorem non agnoscit alium. Crimine læsæ majestatis certè is sese obstringeret, qui in politicis Cesaris judicio stare detrectaret: viderint proinde quæ se excusare valeant Adversarij, quòd DEI repudiantes, hominis auctoritatem stabilire laborant.

## XXI.

Ceterum dum solum Spiritum sanctum in & per Scripturas loquentem, summum ac infallibilem Scripturarum Interpretem unice constituimus, subordinatos Interpretes minimè excludimus, quales sunt Ministri & Doctores Ecclesie: Fideles item, quique quorum etiam officium est non Scripturas scrutari solummodo sed & Spiritus probare, utrum ex DEO sint. 1. Thess. 5. v. 21. 1. 1. b. 4. v. 1.

## XXII.

Vbi tamen minimè omnium ex hac nostra sententia sequitur illud, quod per calumniam nobis subinde objectare solent Suite de privato cujuslibet Spiritu, qui in Scriptura interpretatione sit sequendus; Tantum enim abest, ut tale quid statuamus, ut potius privato Spiritui, quisquis etiam ille sit, non prius credendum esse asseramus quàm exactissimè constet Spiritum illum privatum cum illo Spiritu, qui in Scripturis loquitur ex se convenire. Diversa proinde sunt: In interpretandis Scripturis sequendum esse Spiritum privatum: & quemlibet privatum fidelem secundum Scripturas judicare debere, de quibuslibet Spiritibus sive doctrinis. Prius illud tanquam hæreticum abominamur, posterius hoc ut orthodoxum amplectimur.

## XXIII.

Quibus ita constitutis evidentissimè concludimus, summum jus interpretandi Scripturas Pontifici Romano minimè competere, ut qui nulla prorsus auctoritate est præditus. Nam quod sibi à suis acclamari patitur, Spiritum sanctum ipsius scrinio ita esse alligatum ut licet idiota sit, à didan & ngi à pa dñs, & forsitan à va φήλη & ; tamen sedens & è cathedra pronūcians, in interpretando errare non possit; illud inter reliquas notas minimè postremum obtinet, unde indubitato colligere queamus, ipsum hac etiam in parte Antichristi notam masculè adimplerè, ut de quo prædictum, quòd sit sese elevaturus supra omne, quod est ac dicitur Deus, seq; in templo Dei ostensurus, tanquam DEVS, 2. Thess. 2. v. 4.

Patet

## XXIV.

Patet hinc etiam hanc a Jevlior impiè Concilijs deferrì, quæ præterquam quod turpissimè errarunt, & nunquam non errare possunt, hoc insuper habent incommodi, quòd Laico alicuius Scripturæ loci interpretationem a vidè desideranti, concilium tale cogere non licet: Vtrum vero interea temporis, Academico more fluctuari conveniat, ipsi deliberent Adversarij.

## XXV.

Patet denique multo minus ad Patres istam interpretandi auctoritatem devolvi posse aut debere. Nam ut nihil de eo dicam, quod gravissimis erroribus fuerunt obnoxij, & proinde ipsi sua Scripta divino codici ceu regulæ, ad quam omnia examinari debeant, subijciunt; Certè consultum minimè fuerit, ut relicto DEO, homines; posthabita luce, tenebras; veritate neglecta, vastissimum opinionũ humanarum pelagus sequamur.

## XXVI.

III. Caterum ut ad tertium disputationis membrum accessum faciamus, cum (uti jam modo dictum) Spiritus sanctus hisce in terris subordinatos habeat interpretes, Doctores cum primis Ecclesiæ, ad hoc munus legitimè vocatos: Certè hi medijs quibusdam opus habent, quorum adminiculo rectius in Scripturarum interpretatione versari queant.

## XXVII.

Ac initiò quidem, ut prophetia Apostolo monente sit fidei analogæ, precibus apud DEVM instandum fuerit, ut agnus de tribu Juda librum signatum (ut de suo mihi hoc largiatur Origenes) aperire dignetur. Ipse enim est, qui mentes aperit, ut Scripturæ intelligantur: qui & petenti dat & pulsanti aperit Matth. 7. Sapientia qui indiget eam à Domino postulet ait D. Iacobus, qui eam dat omnibus benignè Iac. 1. 2. Hanc diligens excipiat lectio. 3. Hac verò ut ritè peragi possit opera danda sedulo, ut ipsos fontes linguarum calleamus, sic monente ipso etiã Augustino. 4. Accedat insuper priorum & figuratorum discratio.

Orig. hom.  
17. in Exod.

August. lib.  
2. de doctri.  
Christ. c. 11.

cretio. 5. Circumstantiarum. 6. Cohærentia, & 7. Finis quem quisque locus propriè spectat diligens consideratio. 8. Locorum obscuriorum cum magis claris ac perspicuis accurata collatio, 9. Et singulorum ad analogiam fidei recta accommodatio.

XXIX.

Hoc ipsum statuerunt etiam Patres, ut Hilarius qui lib. 4. 8. & 9. de Trinit. Dictorum intelligentiam, ex causis, dictorum virtutibus, præpositis aut consequentibus esse sumendam aperte pronunciat. Et Basil. qui cap. 1. de Spiritu S. sententiam in singulis vocibus latentem interpretem perscrutari jubet.

XXX.

Est tamen quod hic obtendat Apostata Pistorius: Ist hæc videlicet media omnibus hæreticis esse communia. Non enim Lutheranos solummodo, sed Calvinianos etiam Arianos & Samosatenos cum Anabaptistis linguarum habere notitiam, Scripturas cum Scripturis conferre, quin omnes videri velle, ac si DEO sapius sua vota mente devotâ nuncupent, & preces pura mente litent; & reliquis etiam utantur medijs, quos tamen interim turpissimè hallucinari constat.

XXXI.

Verùm in promptu est, quod huic cavillo respondeamus: duobus videlicet modis ist hæc media dici posse communia: vel quòd ἡμῶν solummodo, & τὸν ἑλεῖπον παρὰ τὸ ἐπιμένον committe asserimus, vel quòd ἡμῶν, eamq; legitimam tumq; laborat antecedens. Fieri enim non potest ut hiscè medijs legitimè utentes, à veritatis tramite aberrent.

XXXI.

Accedit ἑλεῖπον τὸ συμβεβηκός. Vitiis enim Accidentis est, quòd multi isdem medijs forinsecus utentes, nihilominus circa veritatem interpretationis aberrant. Vnde si quis velit inde ipsorum mediõrum nullitatem (uti loquuntur) colligere: haud minus ineptus & absurdus fuerit Disputator, ac qui ipsarum precum robur infringere velit, eò quod hæreticorum plurimi,

plurimi, in studio precum vel maximè videntur fuisse assidui  
& intenti. Accidens autem illud, cuius jam fecimus mentio-  
nem, egregiè describit Apostolus Petrus 2. cap. 3. v. 16. asserens  
quod huiusmodi homines sint ἀμαθεῖς ἢ ἀσήριοι: & quod ἔγε-  
λαστοὺς γερασὺς πρὸς τὴν αὐτῶν ἰδίαν ἀπώλειαν.


XXXII.

Quare memores admonitionis ejusdem Apostoli Petri, ca-  
veamus, ne istarum nefariorum hominum errore unâ abdu-  
cti, excidamus à propria stabilitate: sed crescamus in gratia  
& agnitione Domini & Servatoris Iesu Christi, cui glo-  
ria & honor nunc & in secula,

2. Petr. 2.  
v. 17.

A M E N.





94 A 7359

ULB Halle 3  
002 625 679



Sb.


Retro

W 17









DISPUTATIO THEOLOGICA VIII. 32

De

SCRIPTURARVM  
INTERPRETATIONE.

Quam Spiritu Sancto favente

SVB PRÆSIDIO

Reverendi, & clarissimi viri  
Dn. LEONHARTI HUTTERI,  
S. Theol. D. & Professoris in celebri Academiâ  
V Vitebergensi Publici discutiendam  
proponit

M. UDALRICVS STORRIVS  
Furnensis Palatinus.

Ad diem 26. Aprilis horâ 6. matutinâ.



VVITEBERGÆ

Typis Cratonianis per Iohann. Gorman.

Anno M. DC. VI.